



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis quibus vel ter baptizati sunt. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

firmum baptizare noluerit, vel pro intentione itineris, vel de aliqua excusatione, & sic sine baptismo moritur, deponatur.

De illis qui denuo baptizati sunt. Cap. XLVIII.

His verò, de quibus similiter dilectio tua nos credidit consulendos, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti, vel errore traducti sunt, & nunc se contra catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea est custodienda moderatio, qua in societatem nostram non nisi per pœnitentiæ remedium, & per impositionem episcopalis manus, communionis recipiant Vnitatem. Tempora autem pœnitentiæ habita moderatione tuo constituenda iudicio, prout conuerforum animos inspexeris esse deuotos, pariterque etiam habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum quorumque aut ægritudinum respicientes necessitates. In quibus si quis ita grauitè vrgeatur, vt dum adhuc pœnitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem cõmunionis gratia subueniri.

Ex decr. Leonis papa, ad Nicetã episcopum Aquiliensem, cap. 47.

De hoc si paruulus ægrotans ad quemlibet presbyterorum baptismi gratia defertur. Cap. XLIX.

Si paruulus ægrotans ad quemlibet presbyterorum baptismi gratia de cuiuslibet parochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum non denegetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectauerit, & ille paruulus absque baptismatis, gratia mortuus fuerit, nouerit ille se, qui eum non baptizauit, pro eius anima rationem redditurum, & apud synodum acerrime corrigendum.

Ex decr. Eugenij papa, ca. 6.

De illis qui bis vel ter cõfirmati vel baptizati sunt. Cap. L.

Dictum nobis est, quod quidam de plebe bis, aut ter, ab episcopis ignorantibus tamen eisdem episcopis confirmantur. Nnde nobis visum est, eandem cõfirmationem, sicut nec baptismum, iterari minimè debere: quia bis vel amplius baptizatos aut confirmatos, non seculo sed soli domino sub habitu regulari vel clericali religiosissimè famulari decretum est.

Ex concilio Teraco nensi, ca. 6.

De illis qui bis ignorantes baptizati sunt. Cap. LI.

Qui bis ignorantes baptizati sunt non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum canones non possunt ordinari, nisi magna aliqua necessitas cogat. Qui autem non ignari iterum baptizati sunt,

Ex pœnitentiæ Theodoro, cap. 14.

Q iij